

Septimo.

*Septimo.* Forma Physica dicitur actus talis entis, ergo non dat omnem actum simpliciter, sed talem, dare autem talem actum est solum dare specificum, & formalem, ergo materia debet etiam dare aliquem actum, vt compositum dicitur habere actum simpliciter.

Octauo.

*Octauo.* Quò plùs res descendit sub ente, eò plùs habet actualitatis, at materia descendit sub ente, etiam iuxta gradum substantiæ, ergo in ea aliquid actualitatis accipit. Confirmatur: Materia est sub genere substantiæ indirectè: Substantia verò dicit actualitatem, seu actum aliquem, ergo & materia.

Nono.

*Nono.* Quod aliquo modo assimilatur Deo, est actus, sed materia prima assimilatur Deo aliquo modo, ergo est actus. Maior patet, nam cum Deus sit actus purissimus, nihil habens potentia- litatis, quod ipsi assimilatur, non potest assimilari in ratione potentie, ergo in ratione actus; minor verò est D. Thomæ de veritate *quest. 3. art. 5. Ad primum* his verbis, licet materia sit informis, tamen inest ei imitatio primæ formæ, quantumcumque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi entis.

Decimo.

*Decimo.* Quod est de se cognoscibile, illud de se est actus: sed materia de se est cognoscibilis, cum sit ens, ergo materia est aliquis actus. Confirmatur: Cognoscibilitas est passio entis, ergo cum materia sit ens, erit cognoscibilis.

Undecimo.

*Undecimo.* Illud debet dici habere actum, per quod cognoscuntur res naturales, sed per materiam primam cognoscuntur res naturales, ergo &c. Probatur minor. Res naturales cognoscuntur per suas causas, sed materia prima est vna ex causis rerum naturalium, ergo per eam cognoscuntur res naturales.

Duodecimo.

*Duodecimo.* Quod addit supra aliquid, est plusquam illud, sed materia addit supra potentiam, ergo est aliquid plusquam potentia, nihil autem addit supra potentiam nisi actus, ergo cum materia addat supra potentiam, materia erit quidam actus: sed quòd materia addat supra potentiam, patet ex ipsa locutione. nam materia prima dicitur esse ens in potentia, ergo addit supra potentiam, videlicet quòd sit ens.

SVBDIVISIO CLYPEI.

Num. 14. Nouem rationes afferuntur, quòd materia prima habeat propriam existentiam.

Quòd materia prima habeat propriam existentiam independentem ab existentia formæ sic probare possunt Scotistæ. *Primo*, Deus extra se nihil vult necessariò, ergo quod velit materiam esse non est necesse, quòd eam velit esse propter necessariam connexionem vtriusque, nec enim est talis necessaria connexio inter materiam, & formam. quia tunc sequeretur, quòd materia determinaret sibi necessariò determinatam formam. Probatur consequentia, quòd determinat sibi genus formæ, determinat sibi aliquam speciem in illo genere, & quòd determinat sibi speciem, determinat sibi esse in aliquo Individuo illius speciei, omne enim, quòd de necessitate est homo, necessariò est hic vel ille homo, atqui materia nullam sibi determinat formam, ergo concluditur, quòd materia non determinet genus formæ ad hoc, quòd sit.

Confirmo.

Confirmatur: Quidquid contingenter se

habet ad quodlibet generis absoluti, contingenter se habet ad illud genus absolutum: sed materia contingenter se habet ad quamlibet formam, ergo materia contingenter se habet ad genus formæ. Probatur iterum: Si materia sibi determinet de necessitate genus formæ, etiam de necessitate sibi determinat vnum Individuum solum illius generis, quia vnum essentialia, & vnum singulare impossibile est dependere essentialiter à pluribus eiusdem generis, materia autem est vna essentialiter, & singularis, ergo impossibile est ipsam dependere à pluribus formis eiusdem generis, vnde si necessariò sibi determinet genus formæ, necessariò sibi determinat vnam formam, quòd tamen falsum est.

Prob. primo.

*Secundo:* Quidquid Deus immediatè creat, immediatè conseruat, vel conseruare potest: sed Deus materiam primam immediatè creat, ergo immediatè illam conseruare potest, & per consequens sine omni forma.

Secundò.

*Tertio:* Quidquid absolutum facit Deus in creaturis mediante causâ secundâ, quæ non est de essentia causati, potest facere sine illa, sed materiam facit Deus mediante formâ, quæ non est de essentia materiæ, ergo potest Deus facere materiam, & per consequens eam conseruare sine forma.

Tertio.

*Quarto:* Non minùs dependet accidens à substantia, quàm materia à forma, sed accidens potest esse sine substantia, vt patet in sacra Eucharistia, ergo materia poterit esse sine forma.

Quarto.

*Quinto:* Cuiusque conuenit actu causare pro aliquo signo, conuenit & existere, pro eodem signo, sed materiæ primæ in primo signo, quò recipit formam, conuenit causare, ergo tunc conuenit existere; sed pro illo signo non habet existentiam formæ, ergo propriam. Confirmatur, quia materia aut causat compositum, & recipit formam, quando existit, aut quando non existit: non quando non existit, ergo quando existit, ergo tunc ipsi conuenit propria existentia, quia existentia formæ sequitur totum compositum. Confirmatur, quia causa non mendicat à suo effectu, materia autem causat existentiam compositi, & formæ in genere causæ materialis, ergo non emendicat suam propriam existentiam ab eis.

Quinto.

*Sexto:* Absolutum distinctum, & priùs alio absoluto potest esse sine illo absque contradictione, sed materia respectu formæ est huiusmodi, ergo potest esse sine forma. Minor patet, maior probatur, quia prius, in eo quòd prius non dependet à posteriori, vt habetur *quinto Metaph. text. comment. 16.* vbi dicitur, quòd priora sunt, quæ possunt esse sine alijs, alia verò non sine ipsis.

Sexto.

*Septimo:* Sit A. vltimum instans, in quo abijcitur à materia forma terræ, dum ex terra generatur aqua, & sic arguetur: In instanti A. forma terræ non est in hac materia, quia non datur vltimum esse rei permanentis: sed primum non esse, vt supponitur communiter, at Deus potest non coagere alicui agenti naturali, ad introductionem alterius formæ in eadem materia, cum non agat ad extra ex necessitate naturæ, sed libere, & contingenter, ergo poterit facere, quòd nulla forma sit in illa materia.

Septimo.

*Octauo:* Si Deus v. g. annihilatâ animâ rationali

Octauo.

rationali